



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 223. Sessio XXIV. Benedictus in Synodo comparare jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. CCXXIII.

Sæcul. XV.

A. C. 1416.

*Sessio vigesima quarta. Benedictus
in Synodo comparere iussus.*

Caussa Benedicti sedulo ventilabatur. *Labbe Conc. to. 12. p. 201.*
Die 6. Novembris Cardinalis Viva-
riensis, & Patriarcha Antiochenus, se-
quenti vero die quatuor illi Cardinales,
octo Episcopi, & viginti alii testes; Or-
dinum Generales, Curia Romanæ Offi-
ciales, & Doctores in manibus Commis-
sariorum sua deposuerunt juramenta. In-
structis ergo omnibus ad citationem hu-
jus Antipapæ necessariis, & solemnibus
de more peractis, die vigesima octava
Novembris habita est sessio vigesima quar-
ta, cui initium dedit Cardinalis Floren-
tinus; Hic miserum plane statum, quo
Ecclesia tanto tempore premeretur, ser-
mone admodum gravi exposuit, tandem-
que citationem Benedicti haud ultra dif-
ferendam conclusit; idem cum peterent
Synodi quoque Promotores, unanimi
suffragio decreta est citatio; Ergo sanc-
tum, quod intra terminum duorum men-
sium, & decem dierum a die citationis
factæ computandorum comparere tene-
retur, & citationis decretum, si fieri
posset in valvis castri Paniscolæ, si vero
tutus non esset accessus, in locis vicini-
oribus, v. g. Dertusiæ affigeretur. Lecto
hoc Decreto, quod eodem die ad portas

R 2

Eccle-

Sæcul. XV. Ecclesiarum urbis Constantiensis affixum
A.C. 1416. est, discesserunt Patres.

§. CCXXIV.

Legati Comitis Fuxi ad Synodum.

Schelstr. act. Conc. p. 251. Synodus jam antea ad Albanie Ducem, qui durante Regis Roberti captivitate Scotie Regnum administrabat quemdam Fratrem Ordinis Prædicatorum natione Scotum ablegavit. Hic Constantiam redux, ejusdem Ducis epistolam detulit, in qua se brevi solemnem legationem, animo sese Synodo uniendi, expediturum pollicitus est. Eodem tempore duo Episcopi, Comitis Fuxi legati, advenerant, & Cardinali de Fuxo se junxerant, ut a Patribus admitterentur, quod die decima quarta Decembris ante sessionem XXV. eodem ritu peractum est, quo Arragonenses Oratores antea Concilio aggregati fuere.

§. CCXXV.

Sessio vigesima quinta.

Labbe Conc. to. 12. p. 206. Postquam Legati, nomine Comitis Fuxi, Synodum convocaverant, Sessio hæc initium habuit, ubi Legatis pacti Narbonnensis executionem pollicitantibus, sicut ceteris suæ quoque sedes assignabantur. Occurrit insuper in actis hujus